DE ROMANA SANCTI PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM CATHEDRA


ORATIO

HABITA

IN SACROSANCTA BASILICA VATICANA

XV. KAL. FEBRUARIAS MDCCLXXX.

A MICHAELE BELLI PRESBYTERO ROMANO
PH. S. T. & J. U. D.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PUCCINELLI.
PRÆSIDUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

MICHAEL BELLI

FELICITATEM.

VEtus eſt, atque laudabilis conſuetudo, BEATISSIME PATER, ut quæ in *Vaticana Baſilica de Romana Beati Petri Cathedra* Oratio habetur,

legitimo ipſius Petri Hæredi offeratur, & nuncupetur. Quod itaque mihi erat in votis, *Tua* nunc *Clementia* datum eſt, ſiſtere me *Tibi*, idque abs *Te* petere, ut *Auguſtum Nomen Tuum* Orationi meæ præponi æquo animo concederes. Immo verò excitari quoque me ſenſi, quod in *Te* agnoſcam, & venerer nedum Catholicæ Eccleſiæ *Caput*, & *Paſtorem*, verum etiam *Principem clementiſſimum*. Ante oculos hîc mihi obverſantur *Tuum* Religionis amplificandæ ſtudium, robur in Apoſtolicæ Sedis juribus vindicandis, in publica felicitate promovenda labor aſſiduus, paterna charitas, qua ſubditos complecteris, pietas demum *Tua* præcipua in *Apoſtolorum Principem*,

quo

quo auſpice, & Patrono Supremæ Sedis regimen moderaris. Sed quum omnem, qua potes, laudibus *Tuis* aditum intercludas, eas omnes mecum ipſe tacitus revolvam. Id tamen unum *Te* oro, obteſtorque; ut hoc qualecumque ſit, operæ, ac laboris mei inter minima Subditorum obſequia humaniter excipias. Argumentum quidem cùm cuique, tum *Tibi* præſertim jucundiſſimum. *Soliditas* ſanè, *quam de Petra Chriſto Beatiſſimus Petrus etiam ipſe Petra factus accepit, nonne in ſuos quoque ſe transfundit hæredes* (1)? Poteſtne igitur abſque incredibili animi lætitia commemorari *perpetuæ Soliditatis* privilegium *Romanæ Beati Petri*

(1) S. Leo ſerm. 4. in Ann. Aſſ. ſuæ.

Cathedræ divinitus attributum, ingens, præclarum, ſingulare? *Deus Optimus Maximus* det *Beatitudini Tuæ* nova ſemper in dies hujuſce firmitatis teſtimonia: nullis *Te* ſinat perturbationibus concuti, quem in *Apoſtolicæ confeſſionis Petra* ſolidavit: communique bono, ac voto diu ſoſpitem, atque incolumem ſervet. Dum hæc a *Miſericordiarum Patre*, *& Deo totius conſolationis Tibi* deprecor, ad *Tuos Pedes* humillime provolutus *Apoſtolica Benedictione* firmiſſimæ huic *Sedi* arctius conjungi vehementer exopto.



ORATIO

UBerem profecto, BEATISSIME PATER, & perjucundam dicendi ſegetem ſolemnis hæc ſuppeditat Feſtivitas, quæ communibus ubique gaudiis, ſpeciali, & propria *Urbis* exultatione celebratur. Majorum ſiquidem inhærentes veſtigiis (1) in *Romanæ Principis Apoſtolorum Cathedræ* inſtitutione, *Chriſti*, & *Petri Sedem*, præcipuum hujuſce Urbis decus recolimus. *Per Sacram Beati Petri Sedem Civitas hæc Sacerdotalis*, & *Regia*

(1) S. Aug. ſerm. 15. de SS.

Caput Orbis effecta latius præſidet Religione Divina, quàm dominatione terrena (1). Efferant alii ejusdem Cathedræ veritatem, unitatem, ſanctitatem, & quotquot ſunt alia Ipſius jura, & ornamenta: *Perpetuam* ego Illius *ſoliditatem*, quantum ſinent præfiniti temporis anguſtiæ, hodierna die prædicabo.

Quamvis Imperia vel florentiſſima conſenuerint; *in diebus* tamen *Regnorum illorum ſuſcitavit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur* (2). Plures etſi defecerint Sedes, Apoſtolorum etiam ſanguine conſecratæ, ad Hanc verò cæterarum facile Principem (3), *nulla unquam perfidia habere poteſt acceſſum* (4). Divino plane conſilio ætatem omnium prætergreſſa Regnorum ſic firmior ſemper ſuiſmet aucta periculis, ac immobilior perſiſtit, ut *Teſtimonia Domini nimis facta ſint credibilia* (5).

Sæpius quidem Cathedram hanc adortus eſt antiquus humani generis hoſtis; ſed abſciſſis capite, & manibus, ſemel atque iterum cecidit (6). Romanorum enim Antiſtitum vel ſuc-

(1) S.Leo ſerm.1. in nat. SS.App. Petr. & Paul.

(2) Dan. cap. 2. v. 44. Vid. S. Auguſt. tract. 4. in Joan.

(3) Conc.Nic. can. 6. & Conſtantin. 1. Can. 2.

(4) S. Cypr. ep. 55. ad Corn.

(5) Pſal. 92. v. ult.

(6) 1. Reg. 3.

ſucceſſionem abrumpere (1), vel in Fide conſtantiam commovere (2), irrito ſemper conatu contendit; Impios autem furoris ſui ſatellites, & adminiſtros adinſtar Core, Dathan, & Abiron in interitum demerſos (3), aut ex Saulo novum in ſe Paulum exprimentes Excelſi Dextera mutatos eſſe conſpexit.

Fremuerunt inſuper Gentes, & omnes in unum contra Eandem convenerunt. Aſt *poſuit Dominator Dominus calicem indignationis ſuæ in manu eorum, qui Eam humiliaverunt* (4); ut ſermo adimpleretur, quem locutus fuerat: *Omne vas, quod fictum eſt contra Te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem Tibi, in judicio judicabis* (5).

Graviſſimis itaque ſolidiſſima Sedes oppugnata hoſtibus, circumſeſſa periculis, vehementioribus minarum ventis agitata, validior effecta, alacriorem ab iſtis ad proficiendum vim, & ad ſeſe altius extollendam majus hauſit incitamentum. Navim hanc procellarum fluctibus obrutam nemo vidit unquam, aut intuebitur. *Si quis in Arca Noe non fuerit, durante diluvio peribit* (6). Quæ

(1) S. Aug. ep. 164. de Don. diſſ. & ep. fund. cap. 4.

(2) Theod. ep. 116. ad Ren. car. ap. Bar. an. 449. n. 124. S. Cyr. Alex. lib. Theſ. ap. D. Thom. in catena Matth. 16.

(3) Num. cap. 16. vid. S. Cypr. ep. 65. ad Rog.

(4) Iſ. 51. 23.

(5) Iſ. 54. v. 17.

(6) S. Hier. ep. 14. ad Dam.

Quæ vero *tantæ ſoliditatis eſt cauſa*, *ut Eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia* (1)? Dextera tua Domine percuſſit inimicos, Dextera tua fecit virtutem, Dextera tua exaltavit Eam, ut *in Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ vigeret Principatus* (2). Is revera in primis pro Iſta rogavit, qui *eſt pro ſua reverentia exauditus* (3). *Rogavi*, ait Chriſtus (4), *pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: Ipſemet autem Domum hanc ſupra *Petram* conſtruxit, quæ fundamenti, & firmitatis eſt nota (5); *Tu es Petrus*, inquit, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* (6). *Petra dicitur Petrus, eo quod primus Nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius Operis chriſtiani compagem, molemque contineat* (7). Hinc *Beatus Petrus veteri mutato nomine firmitatem Petræ, quæ nullis ſævientium hoſtium impulſionibus quateretur, accepit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata*,

(1) S. Leo ferm. 2. in Ann. aſſ. ſuæ.
(2) S. Aug. ep. 162.
(3) Ad Hebr. 5. 17.
(4) Luc. 22. v. 32. S. Bern. ep. 90. ad Innoc. II. in h. l. & ferm. de Nativ. S. Jo. Bapt.
(5) S. Thom. exp. in Matth. cap. 16.
(6) Matth. 16. v. 18.
(7) S. Aug. ferm. 15. de SS. ſup. cit. Matth. loc.

ta, perpetua eſt, & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit [1].

Jam vero *Beatiſſimus Petrus, cujus in Sede ſua vivit poteſtas, excellitque auctoritas, in accepta fortitudine Petræ perſeverans Eccleſiæ gubernacula non reliquit* [2]. Quamobrem omnis ætas Beati Petri memoriam in legitimis ejuſdem hæredibus eſt venerata [3]; meritoque ſexcenti & triginta Epiſcopi in Chalcedonenſi Synodo, *Petrum per Leonem locutum eſſe* unanimiter affirmarunt [4]. O ſolidiſſima Cathedra Chriſti voce ſupra Petrum fundata, qui *Sedi ſuæ præeſſe non deſinit, & indeficiens obtinet cum æterno Sacerdote conſortium* [5]!

Sed, quod omnium eſt maximum, Sedem hanc *fundavit Deus in æternum* [6] ſupra firmiſſimam *Petram*, nempe *Chriſtum* [7], *de* qua *Petrus habuit fidei firmitatem, & conſtantiæ ſoliditatem* [8]. Chriſtus eſt *Caput Corporis Eccleſiæ* [9], *ſummus angularis ille Lapis,*

(1) S. Leo ſerm. 2. in ann. aſſ. ſuæ.
(2) S. Leo ibid.
(3) Conc. Sard can. 3.
(4) Conc. Chalc. act. 2. S. Chryſ. ep. ad Euthyc.
(5) S. Leo ſerm. 4. in an. aſſ. ſuæ.
(6) Pſ. 47. v. 9. ad quem loc. vid. S. Aug.
(7) 1. Cor. 10. 4.
(8) S. Ambr. comm. in Luc. cap. 9.
(9) Coloſſ. 1. v. 17.

pis, qui facit utraque unum [1], *quem Deus ſtatuit in Domo ſua, & in Regno ſuo in ſempiternum* [2]. Ipſe *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium* [3]: Huic enim *juravit Dominus, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* (4). Inconcuſſa planè manet Veritatis diſpoſitio: *Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* [5]. *Idem* quoque *Conſilii Spiritus, qui ubi vult ſpirat*, inexpugnabilis Cathedra, Tibi *aſſidue conſulit* [6]. *Eſt tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam* [7]; *Fædus* namque *perpetuum Tibi feriit* [8].

Quæ cùm ita ſint, mortis inferique portis fruſtra obſtrepentibus, *Romana Beati Petri Cathedra in æternum* certè *ſtabit* [9]. *Hanc qui deſerit, in Eccleſia eſſe non confidat* [10]. Qui *elongant ſe ab Ea, peribunt* [11]; *ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens* [12]. *Cui Tu iraſceris*, BEATSSIIME PATER, qui Chriſti

Se-

(1) Epheſ. 2. v. 20.
(2) Paralip. 1. 17. 14. vid. Leo. I. in ep. 31. ad Pulch. Aug. & Leo. II. in ep. ad Conſt. Aug.
(3) Hebr. 7. v. 24. S. Hil. Comm. in Matth. c. 1.
(4) Pſ. 109. v. 5. S. Leo ſerm. 2. in Ann. aſſ. ſuæ.
(5) Matth. 28. v. 20. vid. S. Aug. tract. 92. in Jo: & conc. 2. in Pſ. 101.
(6) Petr. Clun. ep. 43. S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 19.
(7) Iſ. cap. 60. v. 19.
(8) Iſ. 61. v. 8.
(9) Dan. 2. 44.
(10) S. Cypr. de unit. Eccl.
(11) Pſ. 72. v. 27.
(12) Pſ. 57. v. 8. S. Aug. ad h. l.

Sedem tenes, viceſque geris (1), *Deum ſibi iratum, non hominem putet. Qui Te non audierit, auditurum Deum, & contra ſe paveat* (2). *Cælum, & terra tranſibunt*, ait Deus veritatis (3), *verba autem mea non præteribunt*.

Illuminare Domine per viſcera Miſericordiæ tuæ iis, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent (4), quia odio adverſus Iſtam Sedem tabeſcentes *perpetuæ* invident Ejuſdem *ſoliditati*. Utinam errores agnoſcant ſuos, defleant, ejurentque, amantiſſimam colentes *Matrem*, ut *Deum* habere Patrem aliquando poſſint (5). Nemo ab Illa recedat, quæ *Columna eſt*, & *firmamentum Veritatis* (6), *ne inſipientium errore traductus a propria excidat firmitate* (7). *Glorificent omnes Domum Majeſtatis Domini, & adorent veſtigia pedum eorum, qui Civitatem Domini ſanctificarunt* (8). Demum inviolabili Petræ, extra quam ſalus eſſe nequit (9), conſtantiſſimè univerſi adhæreant Orthodoxi, illi præcipue, *quos in Apoſtolicæ Petræ Arce fundatos Beatus Apoſtolus Petrus præ omni-*

(1) Conc. Flor. ſeſſ. 6. in Decr. fid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. de ref. cap. 1.
(2) S. Bern. de Conſ. l. 4. c. 7.
(3) Matth. 24. 35.
(4) Luc. 1. 79.
(5) S. Cypr. lib. de unit.
(6) Ad Tim. 3. 15.
(7) 1. Petr. 2. 7.
(8) Iſ. 60. 14.
(9) S. Opt. Milev. de Schiſm. Don. lib. 2. cap. 2. in fin. & ſeqq. S. Hier. ep. 57. ad Dam.

omnibus erudivit (1), *donec unum* omnino *fiat ovile*, & *unus Paſtor* (2), *omneſque occurramus in unitatem fidei*, & *agnitionis Filii Dei*, *in virum perfectum*, & *menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* (3).

(1) S. Leo ſerm. 2. in ann. aſſ. ſuæ.
(2) Jo. cap. 10. v. 16.
(3) Ad Epheſ. cap. 14. v. 13. vid. S. Aug. lib. 22. de Civ. Dei cap. 15. 17. & 18.